



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Coeli Corona, Germanicè Himmelkron/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

inde proverbiale dicitur, quod versu exprimere libuit: *Ege- lidam. Et sterilem botris nocuisse pruina.* Præfuit Henricus annis 30. quibus cœnobium sub antecessore in cineres collapsum præ- clare restauravit. Obiit anno 1470. Sepelitur honorifice in tem- pli sui choro. Antonius hic contentus paulo post Abbas præpotentis Trevirorum monasterii ad S. Maximinum factus legitur.

*Pruina nocet botris.*

15. *Hesso de Thiersberg*, nobilis vir, successit Henrico. Præ- fuit utilissime annis 30. Valedixit mortalium hominum conver- sationi anno Domini 1500. in ipso Jubilæo.

16. *Laurentius Esingerus*, Villingensis, non procul à Danubii fontibus natus, eligitur in festo S. Ulrici anni Dominici 1500. Præfuit laudabiliter annis 43. & aliquot mensibus. Decessit ex mortali hoc seculo anno 1544.

17. *Quirinus*, ex Ethenheim oppido oriundus, patre tex- tore natus, eligitur anno 1544. Præsidet hoc adhuc currente Ju- bilæo fideliter & feliciter.

COELI CORONA, Germanicè *Simmelfron* / pulcherri- mum virginum nobilium, Deo & perpetuæ virginitati di- catarum, cœnobium, & terræ Prætorianæ, hoc est, Voitlandiæ montanis, ad dextram albi Moeni, inter Gefresum & Culmba- chium oppida Brandenburgensium Marchionum situm, ordinis Cisterciensis, dioceseos vero Bambergensis, sub cura & visita- tione Abbatis Lanckheimensis, fundatum & ex veteri castro Pretzenstorffo constructum legitur anno Domini 1280. ab Othone, præpotenti Comite de Orlemunde, qui, consentienti- bus filiis suis, Othone natu majore, Hermanno & Othone natu minore, obtulit in die Innocentium ejusdem anni, inchoato cœ- nobio & castrum & pagum Pretzenstorff, cum omnibus attinen- tiis, agris videlicet, pratis, silvis, molendinis, aquis, aquarum decursibus, piscationibus, & omnibus aliis juribus. Confirma- runt, approbarunt, & auxerunt postea anno Domini 1332. hanc ipsam donationem Otho, alius Comes de Orlemunde & Kunigundis uxor ejus. Redactum est sub Burggravii Noriber- genis,

*Comites de Orle- munde.*

R 2

*Chronologia  
Monasterio  
S. M*



*Plaffen-  
burgum.*

gensis, Alberti primi, ditionem, unâ cum magnifico castro Plaffenburgensi, circa annum Christi 1340. ut ex Grundlacensis cœnobii annalibus patet. Confirmata sunt postea privilegia hujus cœnobii à Burggraviis Noribergensibus, Joanne anno Domini 1347. Friderico anno 1348. & alio Joanne ejusq; conjugè Margareta, Caroli IV. Imperatoris filia, anno 1406. & ab alio Joanne Friderici, primi Marchionis Brandenburgensis & Electoris filio anno Domini 1442. postea vero & ab Alberto Marchione, & anno Domini 1518. à Casimiro ac Georgio fratribus, Friderici filiis. Abbatissæ quæ huic cœnobio ad hæc nostrasque tempora præfuerunt, hæc in fastos relatæ inveniuntur.

*Series ab-  
batissarum.*

1. *D. Agnes*, Comitissa ab Orlemunde, primi forte fundatoris filia.

2. *D. Chunigundis Nothaffina*, de Albo lapide. Sub cujus gubernatione dedit Agnes quædam, nobilissima Comitissa de Orlemunde, cœnobio Cœlicoronæ anno Domini 1350. in promittis pecuniis insignem thesaurum, & feuda & allodia quædam in pagis Harstorff, Kremitz & Lantendorffo. Aliud de his Abbatissis scriptum invenitur nihil.

3. *D. Anna*, Burggravia Norica, Friderici IV. ex Elifabeta, Thuringiæ Landgravia, filia, magnifica hujus loci Abbatissa. Decessit ex hac mortali vita anno Domini 1383. Cubat in Cœli corona, in templi videlicet choro, sub magnifico Mausolæo.

4. *D. Ruthena* à Mosbach.

5. *D. Agnes* à Wallenrod, in medio templo sepulta.

6. *Catharina* Forfca vel Fortschina.

7. *D. Catharina* Richterin, civis Noribergensis.

8. *D. Catharina* à Schaumberg, obiit anno Domini 1411.

9. *D. Longa* à Kottaw, vulgo Kotaw.

10. *D. Adelbeidis* à Blaffenberg, obiit anno Domini 1460.

11. *D. Elifabeta* à Kinsberg, ædificatrix ambitus, cujus primus lapis positus est anno Domini 1473. Præfuit 24. annis. Obiit anno 1484.

12. *D. Margareta* à Zedwitz, præfuit annis 15. Obiit anno Domini 1499.

13. *D.*



13. *D. Magdalena* à Wirsberg, præfuit 23. annis. Obit anno 1522.

14. *D. Otilia*, ex genere Pincernarum à Simavv nata, præfuit annis septem. Obit anno Domini 1529.

15. *D. Apollonia* à Waldenfeels, prudentissima foemina, successit *D. Otiliæ*. Obit in Martio anni à nato Christo 1543. anno ætatis suæ quinquagesimo tertio, cum magnifice præfuisset cœnobio huic suo annis tredecim.

16. *D. Margareta* à Dela, ex Curiensis urbis conventu defuncta, & verè pia & prudentissima herois, eligitur anno 1543. Præfuit adhuc anno Domini 1549. fideliter instituens circumjacentis provinciæ nobilium heroum filias cum in Christianismo, tum in bonis & laudatis moribus ac virtutibus, quibus non solum Abbatisa, hoc est, parens, sed laudatissima ac doctissima magistra summa cum laude præsidet. Requiescunt in ejus cœnobii templo Comites primum fundatores, nobiles item viri à Wirsberg, Kinsberg, & Plaffenberg: & duo infantes, puellus videlicet & puella, patre Comite Orlemundensi, matre vero *Ducissa Meroniæ* nati, crudeliter ac misere trucidati annos ferè ante ducentos (cum nondum essent bimi) ab ea ipsa matre sua, *Meroniæ Ducissa*, *Blaffenburgi* tunc temporis habitante: quæ cum esset vidua procax & lasciva, formæ vero elegantia ubiq; celebris non amavit ipsa tantum *Albertum* quendam, *Illustrem* juvenem ac fortissimum Principem, *Burggravium Noribergensem*, *Friderici Comitis à Zollern*, primi *Burggravii* filium, sed ab eo etiam vehementer & ardentissime est redamata. Hunc suum amorem passus aliquoties *Burggravius* publice dixisse fertur: se (nisi prohiberent ac dissuaderent quatuor oculi) libentissime ducturum viduam illam *Blaffenburgensem*: quæ verba cum relatu

*Femina instituit filias Nobilium.*

*Crudelitas matris in liberos tenellos.*

*Amoris scelertivis.*

*Chronologia  
Monasterio  
in Gemma  
S. M.*





*Infantes  
tenelli  
crudeli-  
ter occisi  
in sepul-  
cro adhuc  
integri.*

modius ac verisimilibus fabulari posset. Exitum & catastropham hujus tragœdiæ in Grundlacenſis cœnobii origine ac monumentis aliquando leges. Hos innocentes martyres ipse meis oculis vidi meisq; manibus contrectavi. Puella tota ita adhuc integra est, ut putes, eam vix ante unum annum emigrasse, adeo nihil prorsus adhuc in ea apparet cineribus simile. Masculi vero vel puelli pectus est humoribus & aquis, quæ per parietem sudantis hiberno frigore templi descenderunt in parieti contiguum sarcophagum, aliquo modo læsum in cineres resolvi cœpit. Caput tamen, humeri & crura integra adhuc sunt nec tantillum immutata. Adeo mirifice ostendit divina Majestas, quàm innocenter perierint isti infantes, quorum animæ vere cœlestes clamabunt in die extremi judicii contra tam immanem adeoque crudelissimam matrem, quæ nec suo pepercit sanguini, modo infano ac omnibus modis detestando amore fruiliceret. Adeo verum est, quod à Seneca dicitur: Amare & sapere ne diis quidem ipsis concessum esse.

*Seneca.*

*Tumilia-  
sca, Rhe-  
via tra-  
ctus.*

*Episcopus  
Churien-  
sis uxora-  
tus.*

**C**OXIENSE, Caziense vel Caczeſiense illustrium nobiliumq; Dominarum, ab omni professione, voto ac ordine immunium ac liberarum (quas vulgo Canonissas vocant, quibus item liberum est prodire iterum & nubere) amplissimum in Tumiliaſca, superioris Rhætiæ tractu, ad posteriorem Rhenum situm collegium, fundatum est pro 12. nobilibus puellis, harumq; gubernatrice Abbatiſſa, in honorem S. Apostolorum Petri ac Pauli, anno gratiæ per Christum reparatæ 760; decimo nimirum gubernationis Regis Dagoberti, à Domino Victore XV. Episcopo Churienſis Ecclesiæ, legitimo filio D. Paschalis, Churienſis Episcopi Comitissq; Brigantini & Sancta Esopeja conjugè, Rhætiæ altæ Comitissa ac antistita Churienſi. Hunc Dominum Victorem, tunc adhuc Presbyterum, pater Paschalis Episcopus, decimo sexto anno gubernationis Regis Theoberti, hæredem omnium bonorum suorum, in Tumiliaſca aliisque Rhenensibus locis sitorum, instituit, ut est in vetustissimo & maxime prolixo fundationis Katziensiss diplomate. Fundator in choro hujus templi